



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

Ad Lectorem.

AMICE LECTOR, Instituti mei
rationem habe. Vt ad S. IOSEPHI
amorem te existimulem, hoc opus e-
laboravi, idoneis ad eam rem momenti
stabilitum: in eo per omnia usum spectavi,
spe fretus, eo te aditu facile ad Diui illius
amorem peruenturum. Castissimi porro
Sponsi Dei Matris eximias laudes & per-
fectiones ijs explicandas reliqui, qui ad te-
xendas Diuorum laudes maiori longè fa-
cundiâ pollent: adhuc magna potuissim te-
meritatis argui, si eam operam in me susce-
pissim, in quâ alij ante me tam feliciter de-
sudarunt. Vt autem in gratiam S. IOSE-
PHI tenuem hunc mihi laborem impera-
rem, desiderium effecit, quo cupio, quantum
mihi licet, mortalium in Eum studia ma-
gis ac magis incendere; qua hodie arden-
tius, quam quouis alio euo in totâ Europâ
& præcipuè in Galliâ inualuere. Accedit
insuper cumulus beneficiorum, quibus Ille
me sibi aternum deuinxit: & quoniam ijs
ab ipso in hunc modum ornatus, hodie Lug-
duni in domicilio, eius Nomini dicato, vi-
tam

Ad Lectorem.

tam dego ; sentio , me hoc illi grati animi monumentum & eius voluntatis notam debere, quâ eius obsequio cultuque propagando me penitus deuoui. Neque multis tecum de ratione agam, quâ ceptum à me rhema prosequar : quòd si de illa velis compendio edoceri, Caputum duntaxat indicem tuolue. Illud velim te non ignorare, et si praefixum mihi hoc loco minimè sit, isto libello de laudibus S. IOSEPHI Panegyri texere: suo tamen loco, ubi sermo & occasio inciderit, in rariores quandoque illius ciotes incidet. Et quamuis non cogitem eò me adstringere, ut vitæ ipsius gesta, que habentur, continua serie deducam, aut mortis eius historiam percenseam: totam tamen ipsius vitam in Meditationibus historicis que Capite VIII, continentur, inspicias: ubi nihil eorum pratermissi, que vel vitæ illius felicia acta, vel gloriose mortis beatam clausulam concernunt.

Res praterea miras eius Diui auspicio gestas in hoc libro reperies, nusquam alibi legendas: eas idcirco tibi adauxi, quòd ab hominibus haberem, ob suam virtutem ac merita, fide dignis; qui, quòd ad morbo-
rum

Ad Lectorem.

rum curationes attinet, nunquam detre-
tabunt, si rite à magistratu compellentur,
veritati adstipulari. Neque omisi huc ap-
ponere beneficia, quæ postremis hisce annis
Vrsularum Antistita Lauduni consecu-
ta est, per suasus, nullius me reprehensionem
jure incursum; quando nihil in hoc ge-
nere expono, quod non in libros relatum, &
à Pictaviensi Episcopo sit approbatum; aut
in libris ea prodigra enarrantibus conti-
neatur, qui legitimâ auctoritate donati in
lucem prodierunt.

Atque hoc te modo volui: nisi fortassis
mea Dedicatio te offendat, quæ expectatio-
ni tuæ minus, quam velles, respondet. Cui
ergo alteri dedicarem? an ei, cuius causam
toto libro prosequor? at memineris, me nu-
perrimè Solitudinem Hagiophili ei con-
secrâsse; & S. Teresiam, cui hunc labo-
rem dicaui, illi causam meam facile proba-
turam esse: præterquam quòd Patres sibi
præstitum honorem putent, qui illorum li-
beris habetur. a

De

a Auctor hunc librum S. Teresiæ
dicaui; quam tamen Dedicacionem
interpres datâ operâ omisit,

Ad Lectorem,

*De reliquo, si quid tibi potest displicere,
fidenter ediffere: nullam apud me offensam
incurres, ut antè hac tela praudentem: diu
est, ex quo didici, nihil posse omnium gra-
tia fieri: hoc unum tibi dirarum loco im-
precabor, ut Deus te omnibus bonis for-
tinet, ac S. IOSEPHI fias unice studiosus:
idem mihi precare, & vale.*

ALI.